

Heinrich Müller

**Rector Universitatis Rostochiensis Henricus Müller/ Theol. D. & Prof. Ordinar.  
Funus Quod ... luveni Dn. Christophoro Henrico Färber/ I.U. dum viveret,  
Studiosissimo Filio suo desideratissimo Nobilissimi tantoq[ue] funere  
moestissimi Parentes hodie paraturi sunt, indicit, & ad eundum exequias Cives  
Academicos sedulo serioque invitat : P.P. sub sigillo Rectoratus d. 18. Ianuar.  
Anno 1670.**

Rostochii: Kilius, 1670

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777444321>

Druck Freier  Zugang



Müller, H.,  
in  
**Chr. H. Färber.**

Rost. 1670.

58















54.  
RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
HENRICUS

Müller

Theol. D. & Prof.

FUNUS

Quod

Nobilissimo & Literatissimo JUVENI

DN.

CHRISTOPHORO  
HENRICO Farber/

J.U. dum viveret, Studiosissimo

Filio suo desideratissimo

*Nobilissimi tantq; funere moestissimi*

PARENTES

hodie paraturi sunt,

indicit,

& ad eundem exequias

CIVES ACADEMICOS sedulo serioque  
invitat.

*P.P. sub sigillo Rectoratus d. 18. Januar. Anno M.DC.LXX.*

ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Universitatis Typogr.





HORA NOVISSIMA  
TEMPORA PESSIMA  
EVIGILEMUS!  
ECCE MINACITER  
IMMINET ARBITER  
ILLE SUPREMUS  
ΚΥΡΙΕ ΕΛΕΙΣΟΝ!





Ondum obducta sanataque plaga est, quâ Nobilissima domus FERBERIANA Anno proximo, in Filio per mortem abrepto, percussa fuit. Madent adhuc lacrymis genæ, adhuc altâ cicatrice hiat vulnus. Et ecce novam proh dolor! accipit plagam, novo opprimitur mœrore, dum alterum illud familiæ columnen vi mortis subvertitur, alterum domus lumen, quod vel præcipuè in posterum spes FERBERIANAS illustrare posse videbatur, extinguitur. Ergone hoc immutabile Cœli decretum est, hæc propriè Nobilissimæ illi domui fixa necessitas, ut calamitatem trudet calamitas, ruina ruinam involvat? O dies atrâ, quod veteres solebant, præsignanda lineâ! O fata FERBERIANA inclementissima! Fuit, fuit illud tempus, *Vir Consultissime*, quo solari Te facile poterat fœcunditas domûs Tuæ, quæ suâ felicitate nec metuere quidem, quæ nunc sentis, orbitatis sinebat mala. Nunc verò (ô amarissimas vices!) postquam CHRISTOPHORUM HENRICUM Tuum, in quo veluti tibicine aliquo ac fulcro niti videbaris, mors atra eripuit, ecquid aliud restare possit, quàm æt luctu, ut lacrymis, ut squalore obducantur prorsus omnia? Quis hic miretur, si per obitum hunc Eximii Juvenis concussa sint Tibi viscera tua, imò si evisceratus penitus  
sis



sis atq; defluctus ipso? At animum recolliges tamen, *Vir Nobilissime*, cogitabisque Deo & naturæ consentiendum. Davidem imitaberis, qui, ut loquitur Ambrosius, *moriturum se-  
 lium flebat, mortuum non dolebat: flebat ne eriperetur, sed fle-  
 re desinebat ereptum*, QVEM SCIEBAT ESSE CUM CHRIS-  
 STO. Subiicies Tibi, proponesque apud animum Tertul-  
 liani illud lib. de patient. c. 8. *Cur doleas, si perisse non credas?  
 Cur impatienter feras subductum interim, quem credis reversu-  
 rum? profectio est, quam putas mortem: non est lugendus, qui  
 antecedit, sed planè desiderandus. Id quoque desiderium patienti-  
 à temperandum. Cur enim immoderatè feras abesse quem  
 mox subsequeris?* Hæc recolenda Tibi, *Vir Excellentissime*,  
 his confortandus animus. Nos, si fortè & id lenire dolo-  
 rem queat, fungemur partibus, & quod officii hodierni ra-  
 tio præcipit, exequemur. Ergò ad CHRISTOPHORUM  
 HENRICUM nostrum, qui hunc nobis diem funestum red-  
 didit. Natus est Nobilissimus hicce planèque Eximius Juve-  
 nis anno salutaris epoche MDCXLIX d. 4. Mart. Patre genitus  
 Viro Magnifico, Nobilissimo & Amplissimo DN. JOHANNE  
 LEVINO Järbern/ Jcto Excellentissimo & Serenissimi Du-  
 cis Meklenburgici Consiliario gravissimo, fidelissimo. Ma-  
 trem sortitus est sexus sui Nobilissimum præclarissimumque  
 decus, ANNAM CORVINIAM. *Adum paternum* nactus  
 Nobilissimum & maximè strenuum Dn. ANTONIUM Järber/  
 Sereniss: Dni, Dn. F. U. Duc: Brunsvic. & Lüneb. B. M. dum vi-  
 veret, Capitaneum, oriundum ex Landgraviatu Hassiaco. Cas-  
 sellensi, ibidemque in *Bellersheim/ Aviam paternam* ANNAM  
 Weidemans / pietate arque virtute præstantissimam Ma-  
 tronam. *Adum maternum* Pl. Reverendum & Amplissi-  
 mum DN. JOHANNEM CORVINUM, Theol. Doctorem  
 templique Mariani, apud Gedanenses, Senioremem venera-  
 bilem. *Aviam maternam* Nobilissimam suique sexus Vir-  
 tutibus



tutibus conspicuam Matronam, ELISABETHAM  
 Schmiedin. *Proavum paternum* Nobiliss, & Ampliff.  
 DN. RORINGUM Järber / Landgraviatus prænominati  
 pratore[m] primarium. *Proaviam paternam* Clarissimam  
 æquè ac Ornatissimam matronam, AMELIAM FER-  
 BERIAM. *Abavum paternum*, Virum æstimatissimum  
 DN. ARNOLDUM Weydemann / in Wolke &  
 Hesse Ducatus Brunsvicensis præfectum. *Abaviam*,  
 honestissimam fœminam CATHARINAM Protten/  
 ex celebri der Protten prosapiâ oriundam. *Abavum*  
*maternum linea paterna* honestissimi nominis Virum,  
 DAVIDEM Kabe / Civem Güstroviensem primarium.  
*Abaviam ejusdem linea*, ANNAM Wessentins / & ipsam  
 optimam fœminam. *Abavum maternum linea mater-*  
*na*, Nobil: Virum DN. NICOLAUM Schmidt /  
 Centumvirum Gedanensem. *Abaviam ejusdem linea*  
 Nobilissimam fœminam ELISABETAM ex nobili de  
 Linden familiâ progenitam. Hisce ex majoribus, ut vi-  
 tam, ita & indolem traxisse præclaram oportuit, liqui-  
 dem ex iis coniecturam facere velimus. Ut enim bona  
 semina in ortus exerescunt suos, sic plerumque in liberis  
 parentum virtutes conspiciere licebit, de quo concinnè  
 Venufinus cecinit Vates:

*Fortes creantur fortibus & bonis,  
 Est in juvenis, est in equis patrum  
 Virtus, nec imbellem feroces  
 Progenerant aquila columbam.*

Nec bellè minus Philosophorum Princeps Aristoteles,  
 Εἰδὸν βελτίους εἶναι τὰς ἐκ βελτίων. *Meliores ex melioribus  
 nasci probabile est.* Eam certè de filio suo concepe-  
 rant



rant spem Nobilissimi Parentes. Hinc sacro renatum fonte à primis actutum gressibus sic educârunt, ut pietatis pariter & honestatis plena disciplina esset. Vix ex ephebis excesserat puerulus, cum jam doctorum Præceptorum privata informationi crederetur. Initia sapientiæ à Domini timore, jugibusque styli Romani exercitiis ( excellentissimâ instituendi ratione ) petebantur. Addebatur, ne animo sua deesset recreatio, Musica vocalis & instrumentalis exercitium. Accrescentibus annis, cum in literis humanioribus non parùm profecisset, Logicæ atque Oratoriæ initiatus, eos brevi spatio ostendit fructus, qui opulentam minarentur messem. Quo in negotio fidelis ductor ipsi extitit Reverendus adm. & Ampl. Vir, Dn. ZACHARIAS Grape Theol. Licent. ac Logicæ Professor Ordinarius, Collega & Affinis noster multùm honorandus. *ANNO MDCLXVI* ablegatus Wismariam sub informatione Philologi Præclarissimi Dn. BUNSOVII, ut ad solidiora felicitiùs ac velociùs emergeret, quicquid præstandum erat præstitit enixim. Quos non hic Historicos, quos non Oratores nocturnâ diurnâque operâ versabat? Nec perfunctoriè moralem ( quam vocant ) Philosophiam calluerat. Et jam maturus videbatur, qui ad altiora eniteretur. Misus ergò ( una cum Fratre suo natu maximo, JOH-ANTONIO, p. m. ) in Academiam Gryphicâ publicas privatasque Dominorum Actorum, præprimis Viri Nobilissimi & Consultissimi DN. PETRI MASCOVII, J. U. D. & Professoris celeberrimi lectiones non sine fruge audivit. Acceptus amicusque Academia Proceribus, & tantùm non filii habitus loco à Viro Maximè Rev. & Excellentissimo Dn. ABRAHAMO BATTO, Theologo Doctore & Professore primario, Superintendente Pomer. atque



atque Rugiæ generali, & Consistorii Regii Præside, Fautore & in Christo Fratrem æstimatissimo, quo & Hospite, usus, & in studiis Theologicis (quibus insigniter delectabatur noster) informatore. Sublimiora multò ac plura, indoles promittebat, quæ cum præter vota aliter ceciderint, in silentio nobis, ac divino acquiescendum arbitrio nunc fuerit. Vitam quod concernit, piè istam, quoad quidem nobis innotuit, ac pacatè vixit. Candoris eximii ac modestiæ cultor, intra suos se cancellos domi, literarum helluo, continuit. Morti præter molestissimum quendam corporis adfectum causam dedit catarrhus suffocativus, cui obviam quidem in tempore itum, & ab Excellentissimis Medicis positum remedium, ut spondere initiò mitiora viderentur Parcæ. Sed recruduit postea malum inque febrem degeneravit ardentem. Suppedirata iterum à Dn. Medicis virtutis exquisitæ medicamina. Reassumta spes. Veruntamen nec quicquam. Recidivam enim passus *d. 21. Decembr.* anni proximè præteriti, novâque febri tentatus est, quæ cum magnis arderet æstibus, brevè ægrotantem confecit. Collabescens omnis virium apparatus instare solutionem corporis animæque obscure haud indigitavit. Præparatus ergò ad æterna animus. Accitus *d. 25. Decembr.* qui sacro animam esurientem epulo tum pasceret Confessionarius, Rev. Dn. M. LUDOVICUS Barchley, ad Div. Mariæ Diaconus, Collega dilectus. Sumtum, non sine maximâ animi devotione, Nectar illud cœleste, cœlestis Ambrosia. Roboratus insuper, ut in lucta superare posset, multo solamine Spiritus. Ex eo se totum Deo permisit *Noster*, omnemq; horam orando consumpsit suspirans subinde, *ò bone Jesu, juva. Desidero te mihi, Mi Jesu, quando venies?*  
scili-



scilicet ut auspicaretur operas , quibus mox vacaturus æternum esset , ad quas vocatus ille *d. 3. Jan. currentis anni circa mediam noctem* inter adstantiam preces in soporem veluti solutus spiritum suum posuit placidè , *etatis anno vigesimo primo*. Corpori nunc iusta funebria ad horam primam instituta sunt. Si quæ, **CIVES ACADEMIGI** , vel humanæ sortis , vel meritorum ratio Vos tangere unquam potuit, ordine frequentissimo exornaturi funus advolate. Debetis hoc omne **PARENTI NOBILISSIMO** , literatorum Fautori maximo. Et nos, ut promissimè officium faciatis , monemus sedulò.

Convenietur in æde D. Mariæ sacra  
post horam I.






















atque Rugiæ generali, & Consistorii R  
tore & in Christo Fratre æstimatissimo,  
usus, & in studiis Theologicis (quibus i  
batur noster) informatore. Sublimiora  
indoles promittebat, quæ cum præte  
derint, in silentio nobis, ac divino acq  
trio nunc fuerit. Vitam quod conce  
quoad quidem nobis innotuit, ac pac  
doris eximii ac modestiæ cultor, intra  
domi, literarum helluo, continuit.  
lestissimum quendam corporis adfect  
catarrhus suffocativus, cui obviam qu  
itum, & ab Excellentissimis Medicis po  
ut spondere initiò mitiora viderentur  
duit postea malum inque febri degen  
Suppeditata iterum à Dnn. Medicis virt  
dicamina. Reassumpta spes. Veruntame  
Recidivam enim passus *d. 21. Decem*  
præteriti, novâque febri tentatus est  
arderet æstibus, brevi ægroantem c  
scens omnis virium apparatus instare s  
ris animæque obscurè haud indigitavit  
ad æterna animus. Accitus *d. 25. Decem*  
mam esurentem epulo tum pasceret  
Rev. Dn. M. LUDOVICUS *Barthley*  
aconus, Collega dilectus. Sumtum  
animi devotione, Nectar illud cœleste  
sia. Roboratus insuper, ut in lucta supe  
solamine Spiritus. Ex eo fetotum D  
omnemq; horam orando consumsit  
*ò bone Jesu, juva. Desidero te milies, Mi*



, Fau-  
spite  
lecta-  
lura  
ceci-  
arbi-  
tam,  
Can-  
cellos  
r mo-  
dedit  
n pore  
dium,  
recru-  
ntem.  
æ me-  
quam.  
oximè  
magnis  
llaba-  
orpo-  
s ergò  
o ani-  
arius,  
iæ Di-  
ximâ  
mbro-  
multo  
Noster,  
binde,  
penes?  
scili-